



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Vernervs I. Ex Comitibvs Lentzburgi Abbas Heremi Vndecimvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



VERNERVS I. EX
COMITIBVS LENTZ.

BVRGI ABBAS HEREMI
VNDICESIMVS.



PUBLICA bella, maximè externa, aliquatenus conquierant, ciuilia post ea Germaniam exceperè, neque ea iustis copijs, sed per prædationes, & leues pugnas, maximè equitum, qui superiori tempore inter factiones, & dissensiones licentiam, & insolentiam naçti, longè, lateque grassabantur, arces, & loca tutiora pro munimentis occupantes, postremo & diuisis inter se prouincijs, tamquam rerum, & Imperij arbitri plurima fæda facinora vndiquaque patrabant. Anno millesimo ceteresimo, vicesimo quarto, defuncto Callixto creatus

A. D. N.
CIX.
C. XXIV.

pontifex

pontifex Honorius 11. Condiderunt hoc tempore Comites Thiersteinenses, & Sogerenfes, monte Iuraffo monasterium S. Vincentij, vulgo Beinviler nuncupatum, petieruntque tamquam in coloniam ab Heremo monachos. Id monasterium multos per annos clarum, & opulentum, Bello Sueuico postremo, quia Salodorensum jurisdictionis est, Cæsariani diripuerunt, incenderuntque, jacuitque ab eo tempore per annos supra octoginta in vastitate, & ruinis, donec nostrâ memoriâ Salodorēses ijdem auctore, & instigatore præcipuo Ioanne Iacobo à Stabulo nobili, & equestri ordinis viro, egregiæque eruditionis tandem restituerunt, monachosque iterum ex nostratibus postularunt. Missus tamquam præses, & instaurator M. Volfgangus Spies, eiusdem nostri monasterij professus, raræ virtutis, & doctrinæ. Aditi exsequendis diuinis officijs aliquot præterea socij. Anni millesimi, centesimi vicesimi quinti natalitia Henricus Argentinæ celebrauit, magnumque ibidem conuentum superioris Germaniæ, Burgūdiæ, Rheni, & Lotharingiæ principum celebrauit. Ibidem monasterium Montis Angelorum, petente id Cunrado conditore, in suam protectionem suscepit v. Kal. Ianuarij. Loca quæ eo tempore ad monasterium pertinebant, siue ex fundatoris donatione, aut alio modo comparata nominantur eodem in priuilegio, Buchs, Stannes, Birrols, Suites, Chamo, Spreitenbach, Vrdorff, Saltosvvlere, Salenburen, Salinchouen, Bonstetten, Asche, Starchelsvvlere. Inde ad comprimendos Belgas rebelles Imperator tetendit. Sæuiebat per eam tempestatem pestilentia, & humano vsui alimenta necessaria adeò defecerant, vt tertiam hominum partem quâ fame, quâ contagio perisse periti crediderint, notarintque; nonnullis locis, qui mortuos curarent, viui defuere. Anni sequentis pascalem festiuitatem Henricus Leodici confecit. Aquisgranum inde vinctus dracunculj morbo, quo attentari solebat, grauius affici cepit. Vnde Traiectum cum se transtulisset, x v. kal. Iunij, absque prole, decessit. Principes cum Vormatiæ comitia Imperatoria habuissent, plerique Lotharium Gebhardi

A. D. N.

C13.
C. XXXV.

A. D. N.

C13.
CXXXVI.

F. Saxoniam ducem, regem Romanorum, nominarunt, atque eidibus Septembris Aquis grani coronandum curarunt. Unde primum eum sui regni annum numeravit, competitoribus Conrado Franconiam duce, Heinrici Imper. defuncti ex sorore nepote, Leopoldo Marchione Austriae, & Carolo comite Flandriae. Ceteri breui in ordinem redacti, grauior aduersus Cunradum, & fratrem eius Fridericum Sueviae ducem contentio fuit, quos tamen Lotharius, auctoritate maximè, & interuentu D. Bernardi clarae vallis abbatis conuentu Bambergensi, in gratiam saepius victos recepit. Anno millesimo, ceteresimo, vicesimo septimo obiit Vldaricus episcopus Constantiensis antistes magna, & clarae virtutis, & quoadi apud mortales egit, auctoritatis. Condidit ex suo patrimonio monasterium Creutzlingae Constantiae in suburbano. In eius locum adscitus ex Monasterio S. Blasij Vlricus II. qui annos XIII. praesedit episcopatu. Anno millesimo, ceteresimo, vicesimo octauo desijt esse Berchtoldus Curiae episcopus. In eius Cathedram vocatus ex Heremo Vldaricus ex Comitibus Kiburgi. Fuerat primo Praepositus Beronensis. Relicta mox Praepositura, in nostram Heremum se abdidit. Inde rursus extractus per virtutis commendationem Curiae episcopatum nobiliter rexit annos nouem. Priuilegia, & Regalia ab Lothario accepit regni eius anno quarto. Monasterium S. Montis, prope Vitodurum, sua ex hereditate, & fratris Hermanni Kiburgi comitis ope, condidit, locupletauitque. Anno sequenti, obiit Vldaricus Comes Rapersvillae, Heremitarum, nomine ducum Sueviae, aduocatus. Reliquit filium vnicum Rudolfum etiam aduocatum. Anno tricesimo supra millesimum centesimum ineunte, Lutoldus baro Regensbergae, Vernerum abbatem, & nonnullos cum eo Heremi monachos, multamque ex vicinia nobilitatem, in quibus praecipue Vlricus, & Arnoldus fratres Lentzburgi, & Badae Comites exciuit, invitauitque ad praedium suum, & capellam, cui Vare est vocabulum, inter Badam, & Tigurum ad Limagum sitam, eamque, & quidquid illuc pertinere videbatur, voluntate, & consensu Iudithae vxoris, & filij Lutoldi Heremitis perpetua posses-

sione ad-

*A. D. N.**C. D.
C. XXVII.**A. D. N.**C. D.
C. XXXIX.**A. D. N.**C. D.
C. XXXIX.**A. D. N.**C. D.
C. XXX.*

sione adsignauit, priuilegijs, & conditionibus, quarum in monumentum, & testimonium has super edidit literas.

SICUT de reprobis scriptum est, ut deleantur de libro uiuentium, & cum iustis non scribantur, & sint in aeterna obliuione: Ita piorum nomina, & opera scribenda sunt, ut memoria eorum aeternaliter floreat in benedictione. Vnde in nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, literis commendare curauimus, ut ad exemplum pietatis notum sit Christi fidelibus tam futuris, quàm presentibus: Quod & Lutoldus laicus de Regensperg & eius pia Coniunx Iudenta cum filio eorum Lutoldo, pro remedio animarum suarum, & omnium parentum suorum, suæ proprietatis prædium, quod dicitur Vahre, cum Capella ibidem constituta, & cum omnibus ad eundem locum pertinentibus, scilicet, agris, pratis, edificijs, mancipijs utriusque sexus, molendinis, siluis, pascuis, lignis, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, exitibus, & redditibus, cultis, & incultis, uinetis, questis, & inquirendis, DEO, & sanctæ eius MATRI MARIE, & sancto Mauritio; & sancto MEGINRADO deuotè & legitimè dederunt ad Cellam Einsydel nuncupatam. Ita scilicet ut huius Heremiticæ Cella Abbas VVernherus & omnes successores sui cum fratribus suis eundem locum liberè, potestatiuè perpetualiter possideant, & seruitium DEI ibidem instituerent, sicuti DEO rationem reddituri sint, studiose contendant. Ante publicam quippe, & legitimam donationem prædicti amatores Christi, annuente Abbate, cum fratribus petitionem fecerunt sub testimonio fidei, & diuinæ recognitionis Cellam ibidem construi, & regulare Claustrum religiosis fæminis monasticæ professionis secundum Regulam scilicet, & Ordinem Sanctimonialium in Murensi, uel Beraugensi Cœnobio DEO seruientium: Et eis tot, & tales Monachos præponi, qui sciant illis & præesse, & prodesse, ad salutem, & necessitatè tam animarum, quàm corporum. Petierunt etiam ut ipse Lutoldus & post eum filius eius Lutoldus super eundem locum, & super omnia illuc data, uel danda, eius defensionem

apta aduocata, Abbate concedente, habeat, & post eos in eorum genere quicumque maior natu Castellum Regensberg hereditario iure possideat, eam tamen conditione, ut pro labore defensionis non temporale commodum, sed aeternum DEI primum, & remissionem speret peccatorum. Nec in rebus, vel familia Monasterij propria exerceat potestate, sed iusto iudicio aequè disponat omnia ad loci utilitatem & Abbatis, fratrumque suorum voluntatem. Quod si aliter (quod absit) fecerit, oblitam hac salubri conditione, admonitus semel, bis, & ter, si post inducias sex hebdomadarum non emendauerit, praedicto honore priuetur, absque omnium contradictione, aliusque eiusdem generis maior natu loco suo subrogetur, simili conuentione. Si autem, quod potest fieri, aliqua praedia Aduocati defensionis minus apta donentur, in Abbatis sit prudentia, cui hac commendentur. Dederunt etiam omni familiae sua hoc libertatis priuilegium, ut si vir, aut etiam mulier voluerit, liberè donet ad eundem locum, si aliquod habuerint proprietatis praedium. Similiter etiam de transitoria substantia, ut cuique placuerit, pro sua largitatis abundantia. Hoc religionis, & diuini seruitij priuilegium, si quis infelix infringere, vel irritum facere aliquam arte studuerit, nisi, miserante DEO, resipuerit, inter maledictos maledictus erit. Quisquis autem amator veritatis hoc Testamentum confirmauerit verbo, vel opere, studio charitatis in libro vitae caelestis conscribatur, & inter benedictos benedicatur. Hac omnia, diuina fauente clementia, peracta sunt in ipso loco Vabre, in praesentia Domini VVernheri Abbatis, fratrumque suorum, & Vdalrici Comitis de Baden, in cuius Comitatu idem locus situs est, Anno Dominicae incarnationis millesimo, centesimo, tricesimo, Indictione octaua, x. Kalend. Februarij, regnante Lothario Rege Francorum invictissimo. His omnibus interfuerunt Arnold de Baden, Chuono de Buren, & filius eius Lutold, Otto de Regensberg, Heinrich de Hinnuillere & frater eius Rudolphus, Amzo de VVaningen & filius eius Burckhard, Ruoprecht de VVaningen, VVerinhere de Altburen, Iunno de Buochumnafo, & filius eius UVald-
 frid, Adel-

frid, Adelbrecht de Gutolsuilere, Chuno de Hemsca, Uvalther de Uvadinuilere, & fratres eius Eberhart, & Burckhart, Rudolff de Bonbinsolo, &c.

Et inde sanctimonialium monasterium ibidem Verne-
rus abbas condere cepit. Præposituram Varæ modo nomi-
nant, quia eo ab Heremo mittitur Præpositus. Decimo quar-
to kal. Martij consequentis creatus pontifex post Honorium
II. Innocentius II. Lotharius verò anno sequenti Basileæ
principum, & episcoporum, eius præcipue tractus conuen-
tum celebravit. Ibidem Canonorum Tigurinorum pri-
vilegia confirmavit, legendique Præpositi potestatem fecit.
Hoc eodem ipso tempore, nempe xxv. Februarij huius ani-
ni, obiit B. Adhelmus primus Monasterij Montis Angelo-
rum, de quo supra diximus, abbas, vir haut dubiè nostro or-
dine, nostraque, vnde processerat, Heremo dignissimus. Me-
ritorum veluti præmia, teste, & auctore venerandâ antiqui-
tate, per plura Dominus miracula apud eius sepulcrum facta,
non obscure manifestavit. Successerunt quidem tres no-
mine, imò & potestate abbates Luitfridus, Vvelfo, & Hesso,
sed qui præter nomen aliud nihil præ se ferrent, dilapidato-
res monasterij, & omnis disciplinæ profligatores. Igitur ex
nostro iterum monasterio accersitus Frouuinus, damnatâ
trium illorum memoriâ, secundus abbas omnibus eiusdem
monasterij monimentis habitus est. Et profecto talem se
præbuit. Vir integerrimæ conuersionis, religiosissimus,
sapientissimus. Quantâ vero in omni studiorum genere
doctrinâ fuerit, ostendunt adhuc eius, quæ apud nos, quæ-
que apud Angelomontanos supersunt manu scripta moni-
menta. Neque vero ipse solum multa volumina composuit,
sed vt multo plura ab alijs composita scriberentur auctor ex-
titit. Apud nos profecto volumen de libero arbitrio in li-
bros septem distributum quouis precio contra merito æsti-
mamus. Sed neque literis ita se tamen abdidit, vt mona-
sterij, ad quod regendum vocatus erat, ad ministracionem,
& curam intermitteret. Multa in eo, & ampla ædificia ex-

struxit.

A. D. N.

C I O.
C. XXXI.

struxit. Totum verò monasterium, quod late se extēdebat, vt adhuc ostendunt rudera, altissimo muro circumdedit. In vtroque, & re familiari, & amore literarum, quod hautquam in vno facile simul reperias, magnum se, & admirabilem exhibuit. At vero Innocentius mox Petri Leonis, qui Anacletum seipsum vocauerat, antipapæ factione Italiã pulsus, in Gallia duo consilia habuit, vnum per mēsem Septembrem Clarimonte, vbi Anacletum, & eius fautores cōdamnavit, alterum Rhemis. Anno millesimo, centesimo, tricesimo secundo Innocentius pontifex, & Cæsar Lotharius Leodici conuentum celeberrimum agitarunt. Ibi cūm Ecclesiæ tutelam se Lotharius accepturum promississet, si conferendorum sacerdotiorum ius pontifex dimitteret, graui D. Bernardi oratione, & auctoritate facillè sententiã, & petitione depulsus est. Igitur Innocentium se Romam reducturum, si ab eo coronaretur, pollicitus, anno sequenti, cum exercitu in Italiam tetendit, compulsisque in arces, & firmitiora vrbis loca aduersarijs, Imperatorijs insignibus ab Innocentio in Laterano donatus est pridie Non. Iulij. Indeque æstu, & hostium machinamentis coactus in Lombardiam, tum in Germaniam redijt. Anno millesimo, centesimo, tricesimo quarto Innocentius concilium omnium Occidentis episcoporum, & antistitum habuit Pisis, multaue præclare instituit, sapientiã potissimum, & consilio D. Bernardi. Anno millesimo, centesimo, tricesimo quinto Lotharius Imp. donationem Varæ ab Regēsbergensi factam, & eius conditiones suo diplomate ratas, & perpetuas habuit, multamque in id peccantibus fisco regio, monasterioque instituit. Eius diplomatis hoc est exemplum.

A. D. N.
CIC.
C. XXXII.

A. D. N.
CIC. C.
XXXIII.

A. D. N.
CIC. C.
XXXIV.

A. D. N.
CIC. C.
XXXV.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Lotharius, diuinã fauente clementiã, Tertius Romanorum Imperator Augustus. Cūm omnibus debitores simus, tamen circa Ecclesias, & pauperes Christi, diligentiore curam habere debemus, & ipsorum petitioni, & necessitati, piã deuotione condescendere. Unde tam futuris, quàm presentibus innotescere

volumus,

volumus: Quod Lutoldus de Regensberg, & ipsius Coniunx Iudeta cum filio suo Lutoldo pro remedio animarum suarum, & parentum suorum, sua proprietatis pradium, quod dicitur Vahre, cum Capella ibi fundata, & cum omnibus eiusdem loci pertinentiis, scilicet, agris, pratis, adificiis, mancipiis utriusque sexus, molendinis, siluis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, exitibus, & redditibus, cultis, & incultis, vinetis, quasitis, & inquirendis, DEO, & eius Matri MARIÆ, & sancto Mauritio, & S. MEGINRADO deuotè, & legitime dederunt Cella Einsidelen nuncupata. Ita scilicet, ut huius Abbas VVernherus, & omnes successores sui cum fratribus suis eundem locum liberè, & potestatiuè perpetualiter possideant, & seruitium DEI ibidem instituere, sicuti DEORationem reddituri sunt, studiose contendant. Ad publicam quippe, & legitimam donationem predicti amatores Christi, annuente Abbate cum fratribus, petitionem fecerunt sub testimonio fidei, & diuina recognitionis Cellam ibidem construi, & regulare Claustrum religiosi faminis monastica professionis, in modum sanctimonialium Murensium, vel Peraugensium, & eis tot, & tales monachos praponi, qui sciant illis & præesse, & prodesse. Petierunt etiam ut ipse Lutoldus, & post eum filius eius super eundem locum, & super omnia eiusdem loci data, vel dāda, eius possessioni apta, ad uocationem, Abbate concedente, habeat, & post eos eiusdem generis maior natu, possessor tamen Castellii Regensberg, eā tamē conditione, ut pro labore defensionis, non temporale commodum, sed aeternum pramium, & remissionē speret peccatorum. Nec in rebus, uel familia Ecclesia iniustam exerceat potestatem, sed omnia ad utilitatem fratrum, & Ecclesia deuotè disponat. Quòd si hac infregerit, semel, bis, & ter commonitus, si post inducias sex hebdomadarum non emendauerit, predicto honore, & aduocatiā priuetur, aliusque eiusdem generis maior natu hujc substituatur, simili conuentione. Si autem aliqua ipsius defensione minus apta fuerint, in Abbatis arbitrio sit, cui ea commendentur. Hoc quoque idem Lutoldus familie sue concessit, ut res proprias tam mobiles, quàm immobiles

eiusdem

ei^{us}dem Ecclesia offerre liceat, & in proprium dare. Hoc itaque præcipiendo confirmamus, interdici^mus, vt nullus episcopus, Dux, Comes, Vicecomes, Aduocatus, nulla deniq^{ue} magna, paruaque persona hac infringere audeat, sed absque omnium contradictione Abbas eundem locum instituat, & in seruitio DEI ordinet. Si quis verò contrahoc (quod non credimus) præsumpserit, centum libras auri, medietatem Camera nostræ, & medietatem præfatæ Ecclesiæ Einsydlen^{si} componat. Quod vt inconuulsum, ratumque permaneat, præsentem paginam sigilli nostri impressione notauimus. Data Anno incarnationis Dominicæ, millesimo, centesimo, tricesimo quinto, v. i. Idus Iulij, Indictione decimâ quartâ, Anno Regni Regis Lotharij decimo, Imperij tertio.

A. D. N.

CII.
C. XXXVI.

Anno sequenti, Richensæ Augustæ fauore, & gratiâ, Vernerique abbatis petitione, & reuerentiâ, non solum Heremi priuilegia antiqua Lotharius confirmauit, sed etiam advocatis monasterij, quibus tenerentur, leges instituit, magno rei Heremitarum publicæ, priuatæque bono. Ea omnia in hunc modum concepta, & publicata.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Lotharius, diuinâ fauente clementiâ, tertius Romanorum Imperator Augustus Sicut pro instituendo diuino seruitio noua plantare, inchoare magna deuotionis indicium est, ita inchoata conseruare, & confirmare non minus salutiferum est, & omnino hoc attendere, & circa id intentam esse Imperialem decet magnificentiam. Proinde tam futurorum, quam præsentium nouerit industria, Qualiter magna religionis, & sanctitatis vir Uuerinherus abbas, interuentu dilectæ consortis nostræ Richinze, hoc apud nos obtinuit, vt ea quæ ab antecessoribus nostris diuina memoria Ottone maiore, annuente consorte suâ Adelheide, & à filio suo eiusdem nominis collata sunt Ecclesiæ Einsidelen nuncupata, nos approbaremus, & approbata, Imperiali auctoritate, confirmaremus. Cuius libertatem, debitâ deuotione, & adfectu amplectentes, hoc statuimus,

& iube-

et iubemus, ut eiusdem loci aduocatus super officialem, et familiam, qua infra immunitatem cottidie seruire debet ad usus fratrum, nullam habeat potestatem, nisi prout abbas voluerit, et petierit. Exterius vero ab omni exactiōe non minus coercemus eum: Præcipientes ut cum clero nihil: cum ministerialibus vero, et familia eiusdem, qua foris est, non nisi ex iudicio agat, et quod iudicio adquisierit, abbati quod suum est inde tribuat. Cum censualibus etiam tam liberis, quam capitalibus idem obseruet, ut nihil cum ipsis contra iustitiam agat: Et in his omnibus abbati suum debitum recognoscat. Secundarios etiam aduocatos, immo exactores omnino interdiciamus. Hæc itaque Imperiali auctoritate nostrâ amplectentes, et confirmantes, Præcipiendo iubemus, ut nullus Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nulla denique magna, paruaque persona, in his concessis, præfatam Ecclesiam infestare, vel concutere audeat. Si quis vero, quod non credimus, contra hoc præsumpserit, centum libras auri, medietatem camera nostra, et medietatem sapius dictæ componat Ecclesia. Quod ut verius credatur, et ab omnibus diligentius custodiatur, præsentis decreti chartam sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Domni Lotharij tertij Imperatoris invictissimi.

Ego Berchtoldus, vice Alberti Archicancellarij recognoui.

Data, Anno Incarnationis Dominicae M. C. XXXVI. Idus Iulij, Indictione XIII. Anno vero regni Regis Lotharij XI. Imperij III. Actum apud Lutteram. In Christi nomine feliciter. Amen.

Monasteriorum, & Canonicarum, sicuti & episcopatum aduocati id antiquitus præcipue muneris sumebant, ut non modo ab omni injuria eos defenderent, sed eorum etiam ab hominibus, possessionibus, priuilegijs, jureque, & jurisdictione vim prohiberent, familiam Ecclesiæ (ita

R

vocabant

vocabant Monasterijs annexos, & subditos) regerent, jus dicerent, de controuersis cognoscerent, alia politica exercerent, ne, qui rerum caelestium desiderio, & vitae solitariae cupidine terrena, & saecularia reliquerant, rursus per eorum tractationem abstraherent animos, & veluti contagio contaminarent. Sed haut pauci saepius, hoc defensionis munus in tyrannidem vertebant, quosque tueri debebant per summum facinus opprimebant, lacerebantque. Aduersus eos aequissimi, & fortissimi Imperatoris edictum. Qui rursus frequentibus Innocentij literis, & legationibus fatigatus, multo instructiore exercitu, primo auctumno, Italiam ingressus Regium vsque omnia ad obsequium coegit, Rauen-naeque hibernis exactis, Romam, anno sequenti, profectus Anacletum, & Rogerium; ceterosque Innocentij aduersarios tota Italia expulit, rebusque praclare gestis cum Germaniam attingisset, morbo repente oppressus, in Bauaria pridie kal. Octobres, ingenti sui desiderio relicto, extinctus est, iustitia, & pietate, fortitudineque nulli veterum secundus. Hoc eodem anno dedit Vldaricus Comes Lenzburgi, dictus de Bada, instrumentum Monasterio Heremitarum pro Vara Praepositura, quo fatetur illam eandem Praeposituram sitam esse suo in Comitatu Badae, & pertinere omni proprietate ad Heremitas. Anno millesimo, centesimo, tricesimo octauo, cum iam menses aliquot, post Lotharij obitum, transissent absque Caesare, ad proximam pentecosten comitia Imperialia Maguntiacum Principes indixere. Ad ea Henricus Bauariae, & Saxoniae dux Lotharij gener, penes quem is Imperij insignia moriens reliquerat, multa pompa, & comitatu, tamquam Imperij securus, aut si invidia legentium, vel fortuna inuidissent, vim additurus, mature intervertit. Non fefellit reliquos electores, proceresque eius potentia, & ambitus. Quamobrem multo prius quam comitiorum dies adluxisset, apud Confluentiam Rheni plerique conuenere, vnanimique consensu Cunradum Franconiae ducem, quia iam ante cum Lothario in electione fuerat, Caesarem kal. Aprilis nominauere, Aquisgranumque perductum viii. idus eius-

dem men-

A. D. N.
C I O. C.
XXXVII.

A. D. N.
C I O. C.
XXXVIII.

dem mensis coronauerunt, eo nomine III. quamuis diplomatis se secundum nominarit, primo Cunrado, quia Italiam non habuerat, omisso. Hæc ubi ad Heinricum Bauarum, & Cunradum Zeringiæ ducem, aliosque, qui electione abfuerant, perlata sunt, tamquam illegitimum, nec communi principum conuentu designatum repudiauerunt. Turbare hinc singuli, & bello omnia quati. Cæsar contra Bauaros: Fridericus eius ex fratre Friderico Allemanniæ duce nepos, in Zeringum duxit, breuique debellauit. Namque, anno sequenti, Tigurum eius urbem inopinato circumuenit, & paucis diebus in potestatem redegit, præsidium imposuit, Zeringum totâ præfecturâ Tigurinâ depulit. In Brisacos, traductis copijs, Zeringam arcem situ, & munimentis inexpugnabilem iudicatam, paullo post præter omnium opinionem expugnauit, Cunradumque Zeringum eo adegit, ut ad patrum Cæsarem, & Fridericum patrem confugerit, & ab ijs gratiam impetrarit. Domito Zeringo, & compositis superioris Germaniæ utcumque rebus, quo certior, & paratior in Bauaros Cæsar properaret, conuentum multorum principum Argentorati egit, exeunte Maio. Illic agitantem Vernherus abbas cum honesto comitatu conuenit, utque sui Monasterij priuilegijs suam auctoritatem adderet, principum qui aderant adstipulante consilio, obtinuit. Decreti hæc est forma.

A. D. M.

CIC. C.
XXXIX.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Cunradus, diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Rex secundus. Si reliquorum virorum dignis, & iustis petitionibus benigne acquiescimus: Si illorum utilitati paterne consulimus: si iura, & libertatem Ecclesijs DEI antiquitus collatam renouandam conseruamus, & confirmamus antecessorum nostrorum Regum, siue Imperatorum exemplo; tenemus & id nobis ad præsentis uitæ feliciter cursum peragendum; & ad æternam uitam promerendâ nobis profuturum nõ dubitamus.

R 2

Igitur

Igitur in monasterio sanctæ DEI genitricis, & virginis MARIÆ, & sancti MEGINRADI, Mauritij quoque, sociorumque eius, quod Solitarium vocatur, Theutonice Einsydelen, Verinbarius eiusdem loci venerabilis abbas, fratresque eius ibidem habitantes nos adierunt: Qui quidem non de nostris aliqua metere, sed aliorum messe collecta, nostro patrocinio, obtinere petierunt, Videlicet ut consolationes, quas de multis siue in pradiis, siue in aliis quibuscumque mundi substantiæ speciebus, vel acceperant, vel accepturi sunt nostri chirographi testimonio, perpetuâ libertate, possideant. Quorum petitionem, quia iusta videbatur, fieri adiudicauimus. Ergo astipulatione presentium regni Principum, videlicet archiepiscoporum Alberonis Treuirensis archiepiscopi, & Apostolicæ sedis legati, Bisuntinensis archiepiscopi, Stephani Methensis episcopi, Alberonis Leodiensis episcopi, Orthlibi Basiliensis episcopi, Bucconis Vuormatiensis episcopi, Embrichonis Virceburgensis episcopi, Vuarneri Monasteriensis episcopi, Friderici Ducis, Cunradi Ducis, Matthæi Ducis, Herimanni Marchionis, Berchtolphi Comitis, Friderici Comitis, ceterorumque fidelium nostrorum, prædicto abbati, eiusque fratribus de Einsydelen libertatem antiquitus concessam, modò autem petitam, renouando, & innouando confirmamus, Vt nullus successorum nostrorum de aliqua substantia eorum possessa, vel possidenda, prædiis datis, vel dandis, Cellis constructis, vel construendis se intromittat. Nominatim autem Regiâ auctoritate interdiciamus, vt nulla secularis potestas, Dux, vel Marchio, Comes, aut Vicecomes, aduocatus, aut subaduocatus, aliquam in eadem abbacia iniustam, vel violentam exerceat potestatem, Sed tota eiusdem Ecclesiæ familia intus, & exterius, specialiter autem illi ministeriales Ecclesiæ, qui abbati, fratribusque cottidiano seruitio assistunt, quadam familiaritatis libertate, de omni foris facto abbati tantum respondeant. Post obitum vero abbatis eiusdem Ecclesiæ ipsi fratres tantummodo de suo collegio alium sibi eligendi habeant libertatem. Vt autem nostræ renouationis, &

confirma-

confirmationis auctoritas stabilis permaneat, hanc inde chartam scribi, & sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Si quis autem, quod absit, hanc præcepti nostri paginam violauerit, XL. libras auri purissimi componat, quarum dimidiam partem ad fiscum regis: reliquam vero prædictæ Ecclesie persoluat.

*Signum Domni Cunradi Romanorum
regis secundi.*

Ego Arnoldus Cancellarius, vice Alberti archicancellarij recognoui.

Anno Dominica Incarnationis M. C. XXXVIII. Indictione II. v. Kal. Iunij, Regnante Cunrado Romanorum rege secundo. Anno vero regni eius II. Data Argentina. In Christo feliciter. Amen.

Innocentius, eodem tempore, concilium in Laterano mille prope patrum habuit, in quo multa salubria decreta; Anacleti fautores omnes damnati, ordinationes ab eo factæ, aut ab ijs, quos ille ordinauerat, abolitæ. Certamina, siue duella, quæ tornamenta vocant, in quibus per prouocationem, certo non modo corporum, sed animarum quoq; exitio pugnatur, interdicta. Arnoldus Brixianus qui clericos nihil proprij, neque episcopos regalia, neque monachos possessiones habere debere, omnia principum esse, atque ab eorum benignitate in vsum tantummodo laicorum suppeditari, decimas, & oblationes Ecclesiasticis, & religiosis sufficere jactitabat, tamquam hæreticus, Italiã cedere iussus. Antiquus præsentium hæresium prodromus. At is Tigurum concessit, vbi eamdem cantilenam cecinit, neque auditoribus caruit, Gunthero nobili poëta teste. Eodem hoc anno, obiit Fridericus II. Vnocolus Allemanniæ dux, Cunradi Caesaris frater. Is ducatum Friderico nepoti tradidit, qui præfuit annos tredecim. Anno millesimo, centesimo, quadragesimo tandem omnes in Bauariam vires tra-

A. D. N.

CIC.

C. XL.

R 3

duxit.

duxit. Guelfonem Heinrici fratrem apud Neresheim pro-
figavit. Cunctis deinde copijs opidum, & arcem Vinsberg
oppugnauit. Illa in obsidione moram trahenti supplicem
libellum dedit Vernherus abbas, vt prædia quæ Eberhardus,
& Iuta coniunxita Riethæ, & Rumelangi monasterio suo
donauerant, ea ipse suo diplomate rata haberet. Cæsar ita
rescripsit.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Cunradus,
diuinâ fauente clementiâ Romanorum Rex secundus. Æ-
quitas iustitiæ, & regni auctoritas nos admonent omnium qui-
dem utilitati prospicere, maxime vero fidelium Christi vota
modis omnibus promouere, & adiuuare. Quapropter peti-
tionibus Uvarneri venerabilis Abbatis, eiusque confratrum
in cænobio Heremitarum DEO militantium annuentes, no-
stra auctoritatis edicto confirmamus, & corroboramus præ-
dia Rumlang, scilicet, & Rietæ, quæ Euerhardus, eiusque u-
xor Iutta, videlicet, & filius eius Henricus pro remedio ani-
mæ suæ iuste, & rationabiliter eidem Ecclesiæ contulerunt. De-
cernimus itaque vt præfata prædia prædictus Abbas, eiusque
confratres perpetuo proprietatis iure possideant, & locandi,
vendendi, commutandi, & aliis quibuslibet modis iustis, at-
que legitimis utendi, & fruendi liberam de cetero habeant
facultatem. Si qua autem persona temeraria huius decreti
nostri statutum violauerit, conditionis suæ dignitate careat,
& libras quinquaginta auri purissimi componat, quarum par-
tem dimidiam Camera nostra: reliquam vero prænominato
cænobio persoluat. Huic autem nostræ confirmationi testes
idoneos adhibuimus, quorum nomina hæc sunt, Theodeuui-
nus S. Rufinæ Episcopus Cardinalis, & Apostolica sedis lega-
tus, Baldemarus Laurishaimensis Abbas, Hermannus Mar-
chio, Albertus Comes, Poppo Comes, Uuerinherus Comes
de Baden, Vldaricus de Lenziburch.

Signum Domini Cunradi Romanorum
Regis secundi.

Ego

Ego Arnoldus Cancellarius vice Alberti Moguntini Archicancellarij recognoui. Anno Dominica Incarnationis, M. C. XL. Indictione III. XVII. Kalen. Decembr. Regnante Cunrado Romanorum Rege II. Anno vero regni eius III. Actum est in obsidione castri Vuineberch. In Christo feliciter. Amen.

Nec multo post ad extrema redacti Vinsbergenses dedicationem fecerunt, feminis quæ humeris opido efferre possent permissio, ceteris ludibrio, & lubrici militis permissis. Atillæ, egregiæ, & perpetuâ suâ, & Cæsaris ad posteros famâ, & gloriâ, viros humeris exceptos opido deportauere. Et Cæsar Fridericum Allemanniæ ducē obstrepentem, *mentionem virum non habitam*, repressit, insigni temperamento, *Regium verbum haut in deterius verti conuenire* adserens. Post Vlrici obitum hoc anno Constantiæ episcopatum regere capit Hermannus ex Baronibus Arbonensibus. Anno millesimo, centesimo, quadragesimo primo, cum fortè ad Heremum religionis causa venisset Theodenuinus Episcopus Portuensis, tit. S. Ruffinæ presbyter Cardinalis, & per Germaniam legatus Apostolicus rogatu, & precibus Vernheri, fratrumq; reliquorum dedicauit proximâ Dominicâ post Assumptionem DEIPARÆ, conditam a Regulinda Vfnouix ædem jam plurimis ante annis, vt supra vidimus, sed ab Vernhero auctam, & renouatam nomini, & honori sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, DEIPARÆ matris, S. Michaëlis archangeli, S. S. Apostolorum Petri, & Pauli, quibus, ad petitionem eiusdem abbatis, & totius collegij, memoriam adiunxit beati Adalrici, qui, vt etiam supra memorauimus, in insula Vfnouia secesserat, ibique vitam finierat, non absque multis in vita, & post obitum miraculis, cui proinde etiam sacram primus Vernherus aram eadem æde statuerat. Addidit Theodenuinus, quo magis mortalium animos ad pietatis studium, & loci eiusdem cultum, & venerationem accenderet, indulgentias ædem eadem festis S. S. Trinitatis, & prædictorum tutelarium visentibus peccatorum mortalium dierum

A. D. N.

CIC. C.

XLI.

septingentorum, venialium septem annorum, multasque alij quoque alias episcopi eò contulerunt. Construxerat verò non solum hanc ædem Regulinda in honorem eorum, quos memorauimus, Diuim, sed titulo etiam, D. Martini sacellum, in quo præcipue ipsa, priuatim pietati, & solitudini vacauit; reliquã æde in populi vsum, & concursum conditã, & conseruata. Pridiẽ Nonas Martij anni consequentis diem obiit abbas Vernherus. Erat Arnoldi Comitis Lentzburgensis, & Chuonissæ baronissæ ab Altebura filius, Vldarici cognomento diuitis, & Richensæ Vindonissensis nepos. Eius memoriã, & gratiã donarunt parentes Heremitano monasterio vicum Scheideck. Sunt qui Arnoldum fuisse baronem ab Altabura tradidere, cum ex donationis comprehensa formula, libro veteri anniversario, certum sit Chuonissam

Vernheri matrem Eberlini Alteburæ baronis fuisse sororem, Lentzburgensiq; non Altaburano nuptam.

Post Vernherum lectus abbas fratrum vnamini suffragio Rudolfus II. ex Comitibus Lupoduni.

A. D. X.
C. I. O.
C. XLII.



RVDOL